



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

24. Quid sit juspatronatûs personale & reale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

dum patronatui purè hæreditario imprimitur hæc qualitas; quin & impressio hæc tendat in favorem Ecclesiæ, utpote cui hæc ratione aperitur spes libertatis post extinctam familiam, atq; ita fingatur favore Ecclesiæ, quòd sic fuerit à principio cautum. Lott. à num. 17.

3. Respondeo ad tertium: hæc gentilitia qualitas semel impressa continuat, quousque gens ipsa seu familia durat intransmissibiliter, præterquam si transmissio ab ipso fundatore fiat. Lott. n. 10. ex Lamb. l. 1. p. 2. q. 2. a. 8. n. 4.

4. Respondeo ad quartum: finitâ familiâ transit ad hæredes, & efficitur hæreditarius. Anchar. conf. 81. nu. 4. cujus sententiam esse communem & veram contra solum Gemin. conf. 45. n. 7. ait Lott. n. 11. nisi fortè aliud disposuisset fundator, v. g. reservando patronatum pro tali familiâ taxativè seu tantum, vel cum alio signo æquipollente; tunc enim vi pacti singularis procederet illa exclusio hæredum. Lott. n. 12. & 13. Paris. conf. 84. nu. 6. l. 4. Quin imò etiam durante familiâ posse talem patronatum alienari in præjudicium alienantis, & sic transire ad hæredes extraneos, quatenus alii non impugnant, contra quos tamen etiam præscribi potest, ait Lott. n. 14.

*Questio 22. Quid sit juspatr. mixtum, intellige ex hæreditario & gentilitio?*

**R**espondeo: patronatum reputari mixtum, dum fundator utramque qualitatem, nempe hæredis & gentilis in successore exegit (ex enim compatibles sunt) ita ut tunc non admittatur, nisi qui hæres sit simulque gentilis; extraneus verò repellatur. Lott. cit. q. 11. n. 41.

*Questio 23. Qualiter jusp. de hæreditario efficiatur gentilitium, & contra, vel etiam mixtum?*

1. **R**espondeo ad primum: posse post foundationem perfectam Episcopum, si super hoc inflet fundator ipse, qualitatem jurispr. ita mutare, ut de hæreditario fiat gentilitium. Lott. loc. cit. q. 47. n. 64. minime tamen hoc poterit ad instantiam successorum in patronatu. Lott. n. 65. citans Felin. in c. cum accessisset. de constir. n. 19. Ferret. conf. 134. n. 5. Rotam in Pistoriensi jurispr. 31. Martii 1628. cum agatur tunc de mutanda voluntate defuncti. Potest item fundator de consensu Episcopi, ut dictum, post constitutum jusp. eidem imprimere, seu potius insuper adjicere qualitatem gentilitii; sed tunc de purè hæreditario efficietur mixtum. Porro posse fundatorem in codicillo declarare, an jusp. fuerit gentilitium an hæreditarium; quin & posse eundem non minus in codicillis, quam in ipsa fundacione de consensu Ordinarii hoc vel illo modo qualificare patronatum, tradit Corrad. pr. benef. l. 2. c. 12. n. 57. juxta decis. Rota 675. num. 2. p. 1. recent. Abb. l. 1. conf. 59. n. 3. Paris. l. 4. consil. 35. n. 5.

2. Respondeo ad secundum: gentilitium mutari in hæreditarium, seu transire ad purè hæredes extinctâ seu finitâ familiâ, cui reservata fuerat, juxta dicta paulò supra.

*Questio 24. Quid sit jusp. personale, & reale.*

**R**espondeo: personale est, quod à rebus & possessionibus distinctum personam comita-

tur, utpote competens personæ ratione personæ; quale est, quod tibi cuique hæredibus & successoribus competit ob fundatam Ecclesiam, vel privilegium à Papa concessum. Reale est, quod rebus ipsis inhæret v. g. quod tibi competit ratione alicujus villæ, castri, vel prædii, cui ex fundacione annexum est. Castrop. cit. d. 2. p. 4. n. 1.

*Questio 25. An, & qualiter jusp. sit quid spirituale?*

1. **R**espondeo: esse secundum se, seu ex objecto suo simpliciter & intrinsecè merè spirituale, tenent Suar. l. 4. de Simon. c. 26. n. 7. & 8. Laym. Th. mor. l. 4. tr. 21. c. ult. § 5. n. 60. apud Pirh. loc. cit. n. 5. item Navar. in commentatione super rub. de judicis. n. 3. apud Lott. paulò post citand. n. 5. Tum quia principium, à quo originem trahit, est quid spirituale, nempe potestas Ecclesiastica, non humana, ut inquit Navar. & naturalis; sed divina & supernaturalis per Christum Petro & Ecclesiæ tradita, per quam beneficia sunt instituta; tum quia actus objectum ac terminus, ad quem ordinatur actualis presentatio (nempe institutio & beneficium Ecclesiasticum) sunt quid spirituale. Sed neque obstat aliquid in se spirituale ordinari ad aliud spirituale dignius, & jusp. obtineri à laicis; cum hi possint per privilegium iis ab Ecclesiâ concessum obtinere jura spiritualia v. g. beneficium.

2. E contra jusp. secundum se & intrinsecè non esse spirituale, sed tantum annexum spirituali, tenent Gl. in c. quanto. de judicis. & Abb. ibid. n. 6. Azor. p. 2. l. 6. c. 19. q. 2. Garc. p. 5. c. 9. n. 6. Lott. l. 2. q. 9. serè per tot. Pirh. loc. cit. qui ait: hanc esse probabiliorè, & juri Canon. conformiorè, & plerorumque Canonist. Verùm, ut hæc ex fundamento resolvantur, observandum ex Lott. loc. cit. n. 1. in erectione beneficiorum jurispr. tres distinctos & minime confundendos concurrere actus. Primus attribuitur fundatori, & consummatur in oblatione temporalium pro erectione beneficii, & in reservatione jurispr. expressâ, aut subintellectâ; forma autem est ejusdem oblationis sub eadem reservatione actualis presentatio facta Episcopo, aut habenti jurisdictionem Episcopalem. Alter actus est Episcopi; consistit in admisione dictæ oblationis patroni; ejus forma consistit in reductione materiae illius profanae ad spiritualitatem seu annexionem divini officii. Tertius actus tribuitur legi concedenti jusp. & consistit in ea concessione jurispr. (cujus proinde materia non est alia, quam triplex illa prærogativa honorificentia, suppeditationis alimentorum, & facultatis presentandi Rectorem beneficii) forma autem illius est annexio sive applicatio hujusmodi juris facta beneficio erecto, quâ ratione juspat. dicitur annexum spirituali.

3. Hoc patronato, quomocunque definiatur seu describatur spiritualitas (de quo vide Lott. loc. cit. n. 6. & 7.) ea excluditur à patronatu. Si enim simpliciter attendatur persona patroni, jus illud non consequitur à potestate supernaturali (quamvis, ut Lott. n. 8. in æstimando spiritualitatem hanc, non statim sit relatio facienda ad potestatem supernaturalem, ne alias facile possent res quævis deduci ad spiritualitatem) sed naturali; dum consequitur ad voluntatem fundatoris, non nisi sub hac lege, ut possit ipse vel alius ab eo designatus presentare rectorem beneficii &c. offerentis sua (quibus au-